



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLV. Ex concursu Dei ad actus, qui sunt peccata, pecultari ratione superior
doctrina comprobatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

illius esse ordinarium modum operandi Dei cum peccatoribus, sed esse rarum, & extraordinarium, quando multa, & ingentia peccata præcesserunt. Vt autem sit res evidentior, & extra omnem controuersiam, loquamur de primo peccato, & de illo puncto in quo homo deliberat de illo vitando, vel committendo: nam tunc non potest ratio determinationis sumi ex priori culpa, cum nulla præcesserit, nisi forte quis dicat sumi ex peccato originali, quod per se improbable est, præsertim ubi peccatum illud iam fuerit remissum. Veruntamen ut omne subterfugium tollatur, loquamur de primo peccato Adæ, vel Angelis, in illo enim fingi non potest quod prædeterminatio ad talem consensum orta fuerit ex merito ratione prioris culpæ cum nulla præcesserit.

Superest videndum de altero membro fortè si dicatur, defectum aliquem præcedentem in homine prius natura, vel tempore immediato ante instantem in quo peccat esse, rationem, ob quam homini debetur talis prædeterminatio ad consensum, potius quàm ad dissensum, vel saltem esse rationem ob quam homo, quantum est ex se, magis illam determinationem postulet, quàm aliam. Nam in primis longe probabilius est voluntatem liberam quomodocunque toto tempore antecedente ad instantem consensum affecta est nullam determinationem ab extrinseco agente postulare, quæ ordine causalitatis, & naturæ suam determinationem, efficientiam præcedat. Nam etiam si demus, vel permitamus voluntatem esse capacem illius prædeterminationis, saluo vsu libertatis, & expectare illam à causa prima propter subordinationem, adhuc negari non potest, quin in illo instanti in quo voluntas consentit, prius natura, quàm operetur, non obstante quocunque defectu inuoluntario antecedente sit capax duplicis determinationis distinctiue, scilicet, vel ad consensum, vel ad dissensum, quia alias nullo modo esset tunc voluntas potens ad vtrumlibet actum sub distinctione, quia æq; proxime, & per se sola esset potens ad aliquem illorum, neque remore, & media prædeterminatione esset potens ad vtrumque, si vnus tantum prædeterminationis esset capax; necesse est ergo fateri esse in eo momento voluntatem capacem duplicis determinationis.

Vnde ulterius fit in casu posito voluntatem non postulare determinationem ad consensum ab extrinseco accipiendam, vel ex debito, vel ex congruitate aliqua, quæ ob præcedentem defectum inculpabilem ex parte hominis considerari possit. Quia in primis debitum illud non potest esse morale, quia nullus vnus liber præcessit in quo fundetur moralitas, nec physicum, seu connaturalitatis prout debetur naturalis proprietates vnicuique rei, quia illa capacitas respectu prædeterminationis dandi per præsumm concursum solū est potentia quædā receptiua vtriusque determinationis, & alterutram naturā suā postulans; ergo neutra determinare est illi debita debito physico, seu connaturalitatis, nec defectus antecedens facit illam debitam, cum etiam posito illo defectu, & in sensu composito (vel se dicam) adhuc maneat capacitas illa indifferens de se, ut probatum est. Item, quia alias imperfectio illa antecedens esset quasi dispositio vltima ipsius voluntatis limitans capacitatem eius ad talem prædeterminationem, & secundum naturalem ordinem, ac secluso miraculo necessitas ad talem prædeterminationem recipiendam, potius quàm aliam, sicut vltima dispositio corporis humani necessitat suo modo ad creationem animæ. Alias posita illa prædeterminatione cum illa etiam necessitat ad consensum, in sensu vtiq; imposito respectu illius consensu in peccato necessi-

It. Suarez ad Gratia Pars II.

faria, & physica connexionē causarum antecedentium omnem vsu libertatis præueniret, quod quantum denegat humani libertati, quantumque excusare valeat lapsus humanæ voluntatis, facile intelliget, quicumque attenta mente, & puro affectu rem considerauerit. Igitur ex parte hominis nulla ratio debiti considerari potest, ob quam talis prædeterminatio priusquam alia debeat. Nec etiam fingi potest cum fundamento ratio congruitatis, quia (ut dixit) potentia de se magis postulat, & naturaliter appetit, quod illi melius est. Aliunde vero imperfectio antecedens est inuoluntaria, & inculpabilis ut supponitur, ergo non inducit congruitatem moralem, nec etiam physicam, cum illa perfectio non excludat perfectionem sufficientem ad vitandum illum consensum per dissensum, vel pensionem actus, cuius est etiam intrinsece capax ipsa voluntas.

Dicitur fortasse hominem in eo instanti in quo consentit in obiectum prauum, licet prius natura sit capax vtriusque determinationis, semper tamen supponi iam inclinatum, & magis propensum ad consensum, & ideo si non ex debito, saltem ex quadam congruitate ad consensum potius determinari, quàm ad dissensum. At hoc etiam facile refutatur. Primum, quia gratis id dicitur, ac supponitur, quia licet id contingat quando peccatur ex passione, vel consuetudine, tamen in peccatis merè spontaneis fieri potest, ut ante determinationem ad vnam partem non sit homo magis propensus ad alterutram, sed quasi pendens in vtramque, ut statim magis explicabitur. Secundò esto ita esset, quæ congruita inde nascitur ob quam homo magis debeat determinari ad consensum, quàm ad dissensum? Imò verò cum illa maior propensio, si qua est, oriatur vel ex infirmitate, vel ex inconsideratione nondum voluntaria, profecto congruentius est, ut iuuetur infirmitas, vel excutatur consideratio, quàm ut recipit voluntas per diuinam præmotionem.

Vnde argumentor tertio in hunc modum, quo ille defectus, qui antecedit consensum malum, vel est ex parte appetitus, aut prauis habitibus, & hæc accidentia sunt, & ut hæc de medio tollantur, loquamur de primo homine in statu innocentie, in quo ante peccatum nullus talis defectus præcessit: vel est ex parte intellectus, ut si dicatur consistere in praua cogitatione, vel consideratione prauis obiectis, cum remissa consideratione honestatis, vel in alio simili actu, vel eius omissione, & in hoc etiam nulla potest fundari congruitas, quia homo, vel Angelus sic dispositus adhuc erat de se æq; potens ad non consentiendum, vel directè dissentiendo, vel saltem applicando intellectum ad meliorem considerationem. Ergo ex illa dispositione nulla nascitur ratio, aut congruitas, ob quam Adam fuerit potius determinatus à Deo ad consensum, quàm ad dissensum, vel ad volendum melius de re sibi propo- sita considerare, & postea media consideratione determinari ad dissentendum. Denique homo quando per suggestionem demonis habet viuam considerationem prauis obiectis, nulla congruitas inde nascitur, ut Deus impediat voluntatem hominis ne intellectum ad contrariam, vel meliorem considerationem applicet, id enim esset partes demonis tenere, seu iutare; ergo multo minus potest inde nasci congruitas, ut Deus prædeterminet statim voluntatem hominis, v. g. Adami sic à Demon tentati ad consensum, quia nullo efficaciori modo poterat meliorem considerationem impedire, quàm delinendo statim voluntate in consensum.

Relinquitur ergo in huiusmodi euentu nullam rationem posse reddi ex parte hominis, ob quam magis prædeterminetur ad consensum, vel dissensum, ac proinde Deum pro sua sola voluntate id facere, non

7. Relinquitur instantia.

8. Idem tertio ostenditur.

9. Ex his sequitur Deū pro sua sola voluntate

determina-
re creaturā
ad consen-
sum pec-
cati.

non quia id exigat (vt sic dicam), munus causæ primæ, nam æq; bene, vel melius illud expleret determinando voluntatē hominis ad dissensum, sed solum pro suo beneplacito, quia vult tali modo illi homini providere; & non alio. Quod totum, vt opinor, facili concedent contrariæ sententiæ defensores; nam ita loqui solent de prædeterminatione ad bonum, non tantum supernaturale, sed etiam morale ordinis naturalis; consequenter autem idē est de prædeterminatione ad consensum in obiectū prauum: nam est eadem ratio, vt declarauimus. Illud autem dogma per se spectatū sine aliis argumentis videtur nobis indignum diuina bonitate, & sapientia. Nullus enim homo prudens, sapiens, ac bonus, qui possit alium hominem in eo discrimine constitutum ad honestum potius, quam ad delectabile inclinare, eum in priorem partē moueret. Quis ergo credat Deum, qui ex vi vniuersalis muneris primæ causæ æquē potest prædeterminare illi hominem ad dissensum, & consensum ex se, & nulla accepta occasione ex parte ipsius hominis potius ad delectabile obiectum, quam honestum, non solum inclinēt, aut moueat, sed etiam prædeterminet, quibus verbis semper vtor, & nomen peccati fugio, ne occasionem præbeam eludendi rationem per vulgarem distinctionē de formali & materiali peccati, nūc enim nihil de formali malitia loquor, sed de substrato illius; necessariū autem est distinctē concipere, & explicare, quod sit illud substratum, seu materiale peccati, vt pōderari possit, quā sit dissentancum diuine sapientiæ & bonitati, ex se, & solo beneplacito suo eligere ac velle determinare voluntatem hominis ad volenda delectabilia, potius quā honesta, sine occasione ex parte hominis, solum suo arbitrio, & præter alia consilia voluntatis suæ, ac si essent Deo necessarij homines impij.

CAPVT XLVI.

Deducendo ad varia incon. modā eadem doctrinā comprobatur.

Possumus præterea falsitatem huius sententiæ multis modis, & absurdis, quæ ex illa sequuntur, declarare. Primum fit, quia aliās nullam rationem potius permittat, quā impediat. Sequelam declaro, quia licet multæ rationes dari soleant sumptis finibus extrinsecis (quia Deus ex peccatis sumit occasionem maiora bona faciendi), omnes tamen supponunt vt fundamentalem rationem illam, quæ ex libertate sumitur; permittit enim Deus peccata ne libertatem tollat, aut vsum eius impediat, aut liget. Et hac ratione defendit innocentiam Dei in permittendis peccatis D. Thomas in i. d. 47. q. 1. art. 2. ad 4. Eribo Doctores communiter, & Caietanus i. p. q. 22. art. 2. ad 2. estque necessariū supponenda, vt alia locum habeant, quia aliās non vteretur Deus peccatis tamquam occasionibus benefaciendi, sed tanquam medijs per se volitis propter tales fines, quod est à diuina bonitate alienum: non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bono, teste Paulo. Illa enim ratio destruitur iuxta illam sententiam; quod ita ostendo, nam vel prædeterminatio tollit libertatem, vel non tollit. Primum non dicitur, & licet diceretur eo ipso permissio in prædeterminatione fundata non esset libertatis conseruatio, sed destructio. Si autem prædeterminatio non tollit libertatem, Deus prædeterminando semper voluntatem ad bonum prosequendum, & malum fugiendum, non magis tolleretur eius libertatem, quā prædeterminando iam ad malum volendum; ergo talis prædetermi-

natio, vel permissio in ea fundata non potest verè excusari, aut honestati ex ratione libertatis conseruandæ. Similēque argumentum sumitur ex ratione, quæ à munere causæ primæ cum omnibus concurrentis dari solet. Nam si concursus generalis incipit à prædeterminatione, æquē satisfaceret Deus suo muneri determinando voluntatem ad bonum; cur ergo determinat ad malum.

Secundum inconueniens sit, quod non minori voluntate, & efficacitate facere; Deus hominem liberè velle turpia, quā honesta, sacrilega, quā religiosa, iniusta, quā iusta, loquor semper de his solum vt sunt conuerſiones quædam, seu amores voluntatis ad talia obiecta, sub aliqua ratione boni honesti, aut delectabilis, vel vtilis, in quibus, vt sic loquar, præcisè spectatis, nondum aliqua malitia moralis consideratur. Sic ergo declaratæ illationes faciliè comprobantur iuxta contrariam sententiam; quia Deus dicitur facere vt velimus, & faciam⁹ honesta, quia per illum præuium concursum, sua sola libertate in nobis factū determinat nostras voluntates ad volendas, & faciendas actiones honestas, sed simili voluntate, ac præuiū influxu determinat nostras voluntates ad præsequenda bona tēporalia, vel sensibilia propter quācumque rationem inferioris boni ergo in re ipsa æquē facit Deus, vt homines velint, & faciant turpia, ac honesta, & similia. Quod si ita est, non video quā efficaci ratione possimus persuadere peccatoribus ne his inferioribus bonis afficiantur, nec illa honestis, & altioribus præferant, cum possint respondere, qui illa eligunt, non minus Deum velle, & facere, vt ea ipsi amant, & eligant, quā in alijs faciat effectum ad res spirituales, & honestas. Et ideo merito dixit Augustinus lib. 1. de liber. arbitrii. cap. 11. *Regnanti memini, compotique virtutis, quidquid par, aut prauum est, non eam facit seruam libidinis, propter iustitiam.* Sentiens hoc repugnare iustitiæ, ac propterea Deum id non facere. At profecto si Deus faceret voluntatem nostram amare bonum delectabile sensui, maximè faceret eam seruam libidinis, vnde concludit, *Nulla res alia mentem cupiditatis comitem facit, nisi propria voluntas, & liberum arbitrium.* Et ex hoc principio lib. 3. cap. 1. rationem reddit, ob quam Deus non est causa peccati, vt infra dicam.

Tertiū hoc ferè argumentum explicui in lib. 2. de Auxilijs, exemplo de sumpto ex Concilio Tridentino, nam sequitur efficaci voluntate Deum prædeterminasse, ac decreuisse vt Iudas velleret vendere Christum, & efficaciter, & antecedenter fecisse, vt id faceret, quod pia aures audire recusant, & verbis Concilij repugnare videtur, vt paulo post referam. Respondet vir quidam pius, & doctus, & absolute loquendo, Deum non voluisse vt Iudas venderet Christum, & id velleret, sed solum cum addito, considerando illam actionem in quantum erat actio, & sub ratione entitatis: sub hac autem ratione id voluisse Deum, & sic etiam veram esse illam causalem, ideo Iudas voluit illam actionem, in quantum actio est, quia Deus voluit, vt illam velleret, in quantum ens est. Sed nos non de verbis contendimus, sed de re ipsa: nam si res vera est, ac Deum decens, non oportet verbis eam palliare, sed nudè, & apertè, prout ipsa est, eam confiteri: si autem erubescimus rem ipsam nudè fateri, non expedit de Deo sentire, quod pudet verbis apertè confiteri.

Si ergo rem euoluamus, & penitus inspiciamus, si Deus prauoluit, & efficaciter præordinauit illam actionem Iudæ, non tantum voluit illam, vt ens, vel vt actio est, sed voluit illam, vt talis actio est, & vt ad talem personam terminatur, & prout hic denunc liberè à Iuda efficiendum, cum quia nihil posset, & reale in actione illa inuenitur, quod Deus eodem modo non voluerit, & effecit, vt